

1219.

[m. 3.]

*De foresta de Haya et de Kilpec et Acornebiry.* Mandatum est viridariis et forestariis de Haya et de Kilpec et Acornebiry, quod dominus rex assignavit Michaellem Walensem esse servientem suum ad custodiendum forestas de Haya et Kilpec et Acornebiry, quamdiu domino regi placuerit, unacum Hugone de Kilpec et mandatum est eisdem viridariis et forestariis quod eidem Michaeli, quamdiu ibi fuerit per preceptum domini regis unacum predicto Hugone, intendentes sint et respondentes in hiis que ad dominum regem pertinent in predictis forestis domini regis. Teste H. de Burgo, justiciario, apud Gloucestre, v die Julii. Per ipsum, coram domino Wintoniensi.

*De conductu.* Willelmus de Aquila, frater milicie Templi, habet litteras de conductu, et sui quos secum ducet, ad eundem ad regem Scocie, in nuncium regis Francie. Duret conductus iste usque ad festum Sancti Michaelis, anno etc. iij. Teste H. de Burgo, justiciario, apud Oxoniam, viij die Julii. Per ipsum, coram domino Wintoniensi.

*De nundinis Lenn.* Rex baillivis domini legati et comitis Arundellie, assignatis ad nundinas de Lenn custodiendas, salutem. Mittimus ad vos Johannem de Ingewurth, latorem presentium, ad jura nostra capienda et observanda in nundinis de Lenn, sicut antiquitus capi solent et observari. Et ideo vobis mandamus quod ipsum recipiatis, et illi auxilium et consilium prebeat, ad jura nostra capienda et observanda, sicut superius dictum est. Teste H. de Burgo, apud Westmonasterium, xij die Julii, anno etc. tercio.

Idem mandatum est baillivis et probis hominibus de Lenn.

*De electione episcopatus Landavensis.* Rex omnibus custodibus episcopatus Landavensis, salutem. Sciatis nos regium prebuisse assensum electioni facte de Willelmo, quondam priore de Golclive, in episcopum Landavensem. Et ideo vobis mandamus, firmiter precipientes, quatinus sine dilacione eidem Willelmo de predicto episcopatu, cum omnibus pertinenciis suis, plenariam saisinam habere faciatis. Et in hujus etc. Teste H. de Burgo, apud Westmonasterium, xvj die Julii, anno etc. iij. Per eundem, coram domino Wintoniensi.

Et mandatum est omnibus militibus et libere tenentibus de episcopatu Landavensi, quod eidem Willelmo de cetero in omnibus sint intendentes et respondentes. Teste ut supra. Per ipsum justiciarium, coram domino Wintoniensi.

*De foresta de Melkesham et de Chipeham.* Rex omnibus militibus, libere tenentibus et aliis, salutem. Sciatis nos commisisse dilecto et fideli nostro Philippo de Albinaco, custodiam foreste de Melkesham et de Chipeham, unacum custodia castri Divisarum, quamdiu nobis placuerit. Et ideo vobis mandamus quod eidem Philippo, tanquam forestario predictae foreste in omnibus sitis intendentes et respondentes. Et in hujus rei etc. Teste H. de Burgo, apud Westmonasterium, xix die Julii, anno etc. tercio. Per eundem, coram domino Wintoniensi.